3

MATHATHIAS


TRAGOEDIA

AUTHORE

TYRRHO CREOPOLITA

P. A.

Assist. Galliae Soc. Jesu







ROMÆ, MDCCXL.
Apud Franciſcum Antonium Anſillioni
in Foro Agonali.

SUPERIORUM PERMISSU.

TRagœdiam, cui titulus Mathathias jambico carmine exaratam à Tyrrho Creopolita P. A. nobis perlegendam, & examinandam traditam, Paſtoritio Nomine, communique ſigno edendam, ac promulgandam cenſemus.

Myræus Ropheaticus P. A. Cenſor.
Nicetas Phalantius P. A. Cenſor.
Panemus Ciſſæus P. A. Cenſor.

QUando ita viſum eſt Cenſoribus, qui Tragœdiam ſupra enunciatam perlegerunt, perlectamque probarunt, Paſtoritio Nomine illam edere, communique ſigno imprimere, jus eſto. Datum ex Cuſtodia Arcadum Neomenia Antheſterionis Olympiadis IↃCXXIX. Anno III. Ab Ar. In. Olymp. XIII. Anno II. perpetuò læto.

Alcides Phœnicius Subcuſtos.

PERSONÆ.

GORGIAS Regis Antiochi Vices-gerens.

MATHATHIAS.

SIMON

JUDAS) Filii Mathathiæ.

JONATHAS

NACHOR Jonathæ Altor, & Cuſtos.

SCENA.

In Luco prope Civitatem Modin.

Ar-

Argumentum.

Hjerosolyma ab Antiocho capta, ferroque, & igni vastata, Mathathias, ejusque Filii in Montem Modin secesserunt: Quò cum pervenisset Minister à Rege Antiocho missus, ut eos, qui illuc confugerant, Diis gentium immolare cogeret; Mathathias nec blanditiis, nec minis flecti ulla ratione potuit, ut ab avita, sanctissimaque Mosis lege ne latum quidem unguem recederet. Quin Judæum quemdam Idolis coram populo sacrificantem, ipsumque Regium Ministrum sacrilegi sceleris Auctorem strenuè trucidavit, ut habetur ex *Lib.*1.*Machab.cap.*2.Hoc fundamento historico præjacto, fabulæ texturam subnecto.

Judæus ille ex sacra historia à Mathathia trucidatus, Jonathæ ejusdem Mathathiæ Filii, quem Parens impensè amabat, ut fingimus, Altor, morumque Institutor, dolis Regij Ministri corruptus

eò

eò operam,fraudemque omnem confert,ut Mathathiam ſaltem ad ſacrilegi cultus ſimulationem inducat. Hoc pretio, vitam Jonathæ, qui ob puerilem cujuſdam ex Regalis Aulæ Proceribus Moſaicæ Legis irriſoris aggreſſionem, apud Regium Miniſtrum, in libera cuſtodia habebatur, Mathathiæ redimendam proponit. Quod cum eventu careat, novo artificio Jonatham à vera Religione ad Idola defeciſſe, & in ſolemnioris ſacrificij imminente celebritate Idolis ſacrificaturum Parenti per ſummum nefas comminiſcitur; atque adeo opus eſſe, ut ipſe coercendi ergo ſuo aſpectu ſacrilegam Jonathæ audaciam celebritati interſit. Proditor enimvero in animum induxerat ſuum, eamque in ſententiam Regium Miniſtrum pertraxerat, fore, ut Mathathias Filii ſui caput gladio ſupponentis luctuoſo perculſus ſpectaculo Regi Antiocho ad ſpeciem ſaltem, morem gereret, aliiſque ea, qua apud omnes pollebat authoritate, ad ſacrilegam defectio-

nem

nem incitamento foret, & exemplo. Verum hæ, aliæque hujus veluti consectatrices, quæ interferuntur, fraudes in impii proditoris caput recidunt. Nam Mathathias solemniori sacrificio, quo Diis litabatur, aliena fraude astans, & nefariam proditoris machinationem, & Filii innocentiam apertè detegit. Demum proditorem ipsum, quin & Regium Ministrum divino correptus œstro prope Aram interficit, Jovisque simulacrum, omniaque profani ritus monumenta delet, & evertit.

IMPRIMATVR.

Si videbitur Reverendiss. Pat. Mag. Sac. Pal. Apost.

Philipp. Spada Archiepisc. Theodosien. Vicesg.

Fr. Joachim Pucci Mag. & Soc. Reverendiss. Pat. Sac. Palat. Apost. Magistri Ord. Præd.

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA

Gorgias, Nachor.

Nachor post abdicatam legem Mosis init cum Gorgia consilium de Mathathia ad Idolorum cultum per fraudem inducendo, rationemque proponit, qua id executioni mandari possit.

Gorg. UNum esse Regno publicæ ex usu rei est
Cultum Deorum: namque pietatē, ac fidē
Religio sancit, fœdere & jungit sacro
Sese inter animos. Quisque, quam Princeps tulit,
Legem sacrorum servet.
Nac. Idcirco ad tuum,
Tuique Regis pronus imperium Deos
Jam thure colui, Numen Isacidum abnegans;
Mosisque ritum.
Gorg. Hac laude primores Duces
Allectus inter, carus in primis eris
Regi, mihique: nec leve obsequii feres,
Docilisque mentis præmium. At nunc nil palam,
Populoque agendum teste; magnanimus senex
Quousque captus arte, & illecebris tuos
Cumulet triumphos. Dives, & multa potens
Turba clientum, clara quem plebem supra,
Proceresque virtus tollit, & fama inclytum
Ju-

Judæa celebrat; forte si veterem paret
Exuere mentem, vulgus exemplo trahet,
Totumque tanto sub Duce Abramidum genus
Nostras ad aras genua submittet Diis.
Sic getico in Hæmo, cilicis aut Tauri in jugis
Cum pulsa ab Euris fertur in præceps suo
Annosa quercus pondere, immani sonat
Fragore, lateque trahit in cladem virens
Nemus omne circum.

Nac. Hæc una sollicitum premit,
Meque vigil angit cura. Præmonui haud semel
Nimium procaci statuat ut linguæ modum,
Sævique motus cordis adductis regat
Providus habenis. Ille non ægra excipit
Hæc tacitus aure: quippe sincero putat
Profecta ab animo. Primus ad rem, quam cupis,
Præjactus est hic tempore exiguo gradus,
Cui si secundus sortis aspiret favor
Spero futurum his exitum cœptis parem.
„ Quam læta gignunt auspicia rerum, nequit
„ Spes esse mendax.

Gorg. Precibus evictum infimis
Ad sana redige consilia, & operi manum
Adjice supremam. Forte nisi blanda prece
Mens victa cedat; alia subeunda est via.
Propone pœnas, carceris tetri luem,
Crebroque tunsa verbere, & lenta face
Adusta membra, corpus attritum rotis.

Nac. Migrabit aliò cardine evulsus suo
Hic potius orbis, retro quam referat pedem

Timo-

Timore adactus, nulla quem terrent mala;
Quin mage timenda fronte porrecta subit,
Quin & lacessit. Mole non pressus gravi,
Non latera sectus forcipe, artusque æneo
Laniatus ungue, silice quæ putat, & rudi
Excisa trunco Numina, invitus colat.
Gorg. Nihil timentem capere pollicitus stude,
Sponde obsequenti quidquid est Regnum citra.
A Rege primus arte, consiliis, fide
Versabit ille pondus imperij: Id fore
In me recipio, Regis Antiochi est satis
Cui mens reclusa.
Nac. Spernit hæc fortis viri
Magnanima virtus, in bonis numerans nihil
Breve, & caducum.
Gorg. Si tibi est ergo fides
Habenda, nostræ rima quæ patet spei?
Nac. Hæc una: flagrans nempe quo natos amor
Prosequitur, & jure quia ad unum omnes patris
Mores sequuntur: sicque vix similis sibi
Pater est, ut illi quisque.
Gorg. Parte hac est dolis
Urgendus.
Nac. O! si minimus ex quinque in tuam
Vel fraude, vel vi possit abduci domum.
Ut moris est, hunc genitor ante alios amat.
Potire nato, non suum ad morem statim
Componet ille sese, & impavidus licet
Alloquia supplex poscet. Hac coges via
Servire saltem tempori, & specie tenus
Sup-

Superis litare. Fac id ex voto accidat;
Confecta res est: cum diu à lapsu pedem
Sustineat ægre, quæ labat virtus.

Gorg. Mones
Quid plura? nostram citius ad rem nunc juvat
Conferre verba.

Nac. Me interim veterum patrum
Sacra abdicasse jura ne retegas; cave.
Quantum id latere intersit, ut sibi me intimum
Habeat, mihique ut ante, sua credat senex
Consilia, nemo non videt. At ecce huc gradum
Accelerat.

Gorg. Abeo. Ne tuæ parcas velim
Ignavus operæ.

Nac. Haud vota remorabor tua. (1)
Me colloquentem vidit. Alloquio hoc super
Fors multa rogitans mihi viam ad cœptos dolos
Dabit ipse.

SCE-

(1) *Gorgias discedit. Vertit sermonem Nachor ad Mathathiam adventantem.*

SCENA SECUNDA.

Mathathias, Nachor.

Capta occasione à Mathathiæ objurgatione Nachor benevolum Gorgiæ animum erga Mathathiam ipsum, ejusque filios commendat, ea arte, ut ad obsecundandum votis Gorgiæ, propriæque consulendum incolumitati, atque adeo ad Idolorum cultum saltem simulandum Mathathiam impellat; sed frustra hac in re laborat.

Math. QUorsum fœdus hoc spectat? nova hæc
Alloquia quorsum? „ Ab hoste vix
(demum cavet
„ Satis ille, qui semper cavet.
Nac. Ne hostem voces
Cujus ope, nec vana puto, te salvum volunt,
Natosque superi.
Math. Sola mihi Patriæ salus,
Regnique cordi est. Hanc ne restituet, ferox
In nos qui apertè pugnat, ardescit, fremit,
Nec fraude, ut ante; sed palam aggressus, decus
Sionis omne vertit? o! redeat dies,
Portenta redeant, quibus ab æthereo caput
Decoratus igne ductor Ægypti è jugo
Eduxit atavos.
Nac. Exerit dextram Deus,
Tunc cum ferendo rebus afflictis opem
Suc-

Succumbit impar ordo naturæ: secus;
Sinit ille stabili lege mortales vices
Fluere: nec aliter astra quam nutu regens,
Pronumque rerum temperans cursum, diu
Quos pressit, iterum tollit.
Math. At mihi quid spei?
Et unde fulget?
Nac. Liceat hoc unum prius
Rogare, Princeps: nempe ne indicta velis
Damnare causa laude præstantem virum.
Legem sacrorum, more quæ patrio obtinet,
Sectatur equidem, eosque veneratur Deos,
Quos novit olim mente non firma puer:
Tamen fatetur sponte, quem colimus Deum
Dignum esse cultu, et vivere Abrahamo satos
Meliore ritu: quin tuos mores amat;
Tua facta laudat: esse te censet supra
Mortale culmen: esse cælitibus parem:
Hinc te, tuosque ut sospitet natos, viam
Rimatur omnem. Id interim solum petit
Ut arte simules: sacra nec vulgo palam
Barbarica spernas. Poterat an posci minus?
Quod si rogare fas sit .... at frustra est loqui.
Math. Ambage missa fare; nam tutò potes.
Nac. Rogare id ausim, Regis ut ficte impleas
Metuenda jussa. Quantulum est visu tenus
Dare thura Divis; intus horret si nefas
Mens labis expers?
Math. Siccine meam audes fidem
Tentare demens?

Nec.

Nac. Forsan auditum voles,
  Audire quod nunc renuis.
Math. In me ergo cadit
  Spes hæc pudendi sceleris?
Nac. Id scelus puto,
  Deserere patriam, lapsa quæ tecum trahet
  Præceps ruinam posteris linquens sui
  Nil ultra inane nomen, & fædam struem,
  Quid quod ruet te conscio, authore, auspice:
  Addo & jubente: „ Sæva nam quisquis potest
  „ Patriæ vetare damna, nec vetat, imperat.
Math. Ruat illa præceps; versus in priscum chaos
  Labatur orbis; ante mendaces Deos
  Quam thure digner. Hanc sacri cultus notam
  Sibi petit uni Numen.
Nac. A quo sed petet
  Excisa ferro, & igne si jaceat Sion,
  Templique moles, gentis & nostræ super
  Vix sit, jacentem qui fleat? Quis tunc colet?
  Vel ubi?
Math. Etiamne pergis?
Nac. Indulsi satis
  Superque amori. Veniet heu! lux, & brevi
  Qua te ista tangant dicta. Nunc si quid meret
  Amor, fidesque; parce fidenter nimis
  Tecum locuto. Cura, qua Patriæ premor,
  Tuæque stirpis, clausa diuturno metu
  Reclusit ora. Tacitus at posthac feram
  Utriusque cladem: nec querar, quamvis tui
  Hæres amoris ultimus, blandus puer

Fratrum ſecundus nemini, his quem non ſemel
Ulnis recepi, quem diu inſtitui, trahat
Vincla pede, quodque gravius eſt, tenerum caput
Supponat enſi.

Math. Ah! deſine; eſt res non eò
Adhuc redacta, nequeat ut nati parens
Vitam tueri.

SCENA TERTIA.

Mathathias, Jonathas, Nachor.

Jonathas enſe diſtricto in ſcenam prodit, narratque parenti ſuo Mathathiæ occurſum alicujus ex regiis Proceribus; habitam cum illo de Religione contentionem, ejuſdemque inopinatam aggreſſionem. Quibus auditis Mathathias jubet ut in propinquos montes, ubi fratres cum ſtrenuis militibus caſtra poſuerant, ſeſe recipiat.

Math. At enſe diſtricto huc ruit.
Occurro.

Jona. Genitor ſive te pietas movet,
Sive ardor animi, ſive violatæ decus
Virtutis, effer arma. Non ultus probrum
Satis ipſe, dextram poſco, quæ dignas petat
Ab hoſte pœnas.

Math. Hoſtis at quis? quid tuas
Accendit iras?

Jona. Multa cum tuum ad latus

Virtu-

Virtutis habeā exempla, properabā huc gradum,
Tecum una ut essem: En obviam aspectu gravis
Vir ante nunquam notus occurrit. Prius,
Ut sit, rogare multa. Quem colerem Deum?
Quæ sacra sequerer? Stirpe qua natus? Dehinc,
O grator, inquit; assecla es Mosis, tulit
Qui jura gemino in lapide cælata e jugo
Minacis Horeb non bene audita, ut puto,
Tonitrus tot inter; quique limoso è lacu
In arma ranas compulit, culicum & tubas
Cecinisse bellum jussit. Æstuans ad hæc:
Culices, reposui, non tot, aut ranas stupens
Timuit Ægyptus, vestra quot regio colit
Millia Deorum: quorum hic haud æquo pede
Incedit ægre: hic ventre distento piger
Palustris anatis simulat incessum: sua
Prospectat alter terga; quod monstrum biceps
Stupeat popellus: alter hortorum rudis,
Fædusque custos arcet infestas procul
Volucrum rapinas: ille mancipium gulæ:
Fur ille: & ille lurco: sed non hic vacat
Referre plura. Quod rei caput est, flagrans,
Tumidusque ab ira, scommata hæc, torvis minis
Sic ille retudit: itane tot nugas blatis
Apella vecors, turpe verporum genus?
Vix ea. Minaci cuspide educta irrui
In hæc loquentem, qui statim eripuit fuga
Se se aliò. At æquas nunc tuum est forti manu
Exigere pœnas.

Math. „ Laude nil dignum magis,
„ Quam regere sese: vera nisi servet modum
„ Nequit esse virtus.
Jona. Ferre debueram silens
Repetita probra?
Math. „ Injuriam præstat pati,
„ Quàm facere.
Jona. Palmam Mosis irrisor ferat,
Abeatque inultus?
Math. Verba fas verbis fuit
Solùm refelli, parcere at ferro manum:
Nil nunc loci est socordiæ. Insidias cave.
„ Omnia licere victor in victos putat.
Jona. Sat esse cautum mihi puto hac dextra.
Math. „ Sibi
„ Juvenile vitium est fidere, & spem omnem sitã
In se uno habere. Plura quam quæ nunc times
Timere disces. Potius o! discas meo
Utinam periclo, quàm tuo. (Effugium patet
Nunc tibi quod unicum ut puto) fratres adi,
Peditũ propinquo in colle quos sequitur cohors,
Equitumque turma. Hos inter heroas potes
Ense aut tueri nomen, & cultum Dei,
Patriasque leges; nobili aut letho diem
Claudere supremum. Pignus hoc, Nachor, tuæ
Commendo fidei. Te duce incolumis ferat,
Quò jubeo gressus.
Math. Obsequar jussis.... Cadit
Quàm commode res....
Math. Ore nil tibi excidat

Pueri quod animum frangat, atque hostem minus
Odisse cogat.

Nac. Sponte currentem sua
Urgebo stimulis.

Math. (1) Patris amplexus cape,
Exempla sequere.

Jona. Reditus at liceat.

Math. Redi,
Patriæ sed ultor.

Jona. Morte vel propera cadam;
Vel sic regrediar. (2)

Math. Numen o! se nunc suum
Benefica dextra referat in morem. Puer
Per te triumphet. Jaceat hostilis furor,
Pudeatque victos cadere puerili manu.

Finis Actus Primi.

(1) *Ad Jonatham.*
(2) *Jonathas discedit.*

ACTUS SECUNDUS

SCENA PRIMA.

Mathathias, Judas, Simon.

Simon, & Judas certiorem reddunt Parentem suum Mathathiam de exercitu novis in dies supplementis aucto. Mathathias de Jonatha sciscitans de illo prorsus nescire Fratres non sine animi dolore intelligit.

Jud. (1) HÆc parva quondam turba nobiscum latens
Abrupta in arce, qua sibi Urbs late imminens
Sese jacentem spectat; accessu in dies
Ducumque, militumque nunc major, moram
Detrectat omnem, & voce prævertens tubas
Arma fremit amens: jamque spe lauros metit,
Hostesque votorum impetu in præceps agit.
Sic tenuis ante murmure exiguo fluens
Qui fons alebat nemoris annosi decus;
Mox nivibus auctus, aura quas solvit tepens,
Pluvioque Cælo, claustra diffringens sua
Subjecta in arva mole præcipiti ruit,
Stabulaque raptat secum, & attonitum pecus.

Sim. Mirum quot intus pectori adjungat faces
Cupi-

(1) *Colloquentes in scenam prodeunt.*

Cupido flagrans ultimam hanc operam Deo,
Patriæque dandi. Noſtra quos gens jam tulit
Numerat triumphos quiſque, virtuſque ut jacens
In corda rediit, colla cum premeret jugo
Pharius Tyrannus: clade non una ſatur
Aut fureret Amalech: fureret aut palmis tumens
Chananæus ultor. Cæſa quin læto exitu
Ducum ſuperba capita fœminea manu
Menti recurſant. Impari haud rerum in ſtatu
Præſtò futuram nemo non ſpondet ſibi
Dextram Tonantis.
Math. Criminum at venia eſt prius
Roganda lacrymis „Tela, quæ in noſtrum caput
„ Nam ſcelera cudunt, frangit ingenuus dolor.
Poſt, nihil amore laudis, aut vilis lucri
Audendum in hoſtes, ſæva nec mentem trahat
Libido cladis. Spectet huc ſolum labor,
Huc omne facinus; nempe ut antiquus decor
Reddatur aris, victor & toto Deus
Clareſcat orbe.
Sim. Hæc cauſa pugnaces movet
In arma dextras; pectus hæc ſtrictis jubet
Nos ferre telis obviam.
Jud. Hac motus, vadis
Si fuſa ſtygiis monſtra me contra ruant;
Nil monſtra timeam. Quid quod hic omnes habet
Magnanimus ardor? Timeat an pugnæ aleam
Brevem ſubire, ſine cariturus manet
Quem poſt triumphus? Quique ſtelligera comas
Lauro revinctus victor, aut victus Dei,

Cui pugnat uni, pariter amplexus feret?
Math. O grande columen Patriæ, o ſpes, o meæ
Robur ſeneĉtæ pergite his cœptis. Canit
Quæ fama [non fruſtra auguror] per vos retro
Spatiis remenſis priſca cæſorum hoſtium
Opulenta ſpoliis ſæcla volventur. Vetus
Nomen, decuſque rurſus Iſacidæ ferent.
Fraternæ & utinam laudis imitator puer,
Quem miſi, Jonathas brevi aſſueſcat pati
Martis labores. Patris erga illum, rogo,
Obite munus. Quippe præſidiis eget
Puerilis ætas.
Sim. Frater in noſtra intulit
Stativa greſſum? Nil minus.
Math. Saltem obvius
Calle in reduĉto, qui unus hinc illinc iter
Continuat Urbis, ſerpit & circum juga
Acclivis, eſſe debuit.
Jud. Sed ne hoc quidem.
Math. Ah! timeo fraudes. Altor at propere ſubit.

SCENA SECUNDA.

Mathathias, Judas, Simon, Nachor.

Nachor, cujus occulto dolo, Jonathas in Gorgiæ inſidias incurrerat, qua ratione id evenerit, Mathathiæ nunciat.

Math. MEus ubi natus?
Nac. Prohibet heu! voces dolor,
Metuſque.

Math.

Math. Quantum est, quod loqui refugis malum!
Cur refugis autem? Ferre fortunæ vices
Me docuit usus „ Mollit ærumnas diu
„ Fuisse miserum. Quidquid illud est, feram.
Eloquere citius.

Nac. Non mihi, at puero timens
Resonas vagante plebe cum fugerem vias,
Avia secutus; subitus armorum, & virum
En sonitus aures pepulit; ut fit, hæreo
Incertus animi. Vix moror, late cohors
Glomerata circum cingit amborum latus.
Tunc ambo celeres aciem in adversam manu
Gladium rotamus. Nuper avulsus leo
Matris cruento ab ubere ut torvum intuens,
Frendensque in orbem se rotat quatiens jubas,
Carensque firmis viribus nequeat licet
Morsuque, & ungue frangere objectas feras:
Tamen lacessit; jamque proludit minax,
Olim futuris cædibus. Parvus comes
Sic tela, & hostes inter excurrens furit,
Strictoque nunc hos ense, nunc illos petit:
Facilesque quamvis clypeus hostilis moras
Opponat ensi, frangat atque ictus leves;
Quem quisque posthac mente præsagit fore,
Heros timetur. Victa sed demum fuit,
Numeroque virtus obruta. Ærumna pari
In vincla trahimur. Gorgias captos tenet:
At mihi sequestra licuit huc pacti fide
Adire inermem. . . . .

Sim. Quod scelus Fratri imputat?

Nac. Petiisse ferro, dira legiferum in ducem,
Nostrasque gentes ore qui fudit probra.
Jud. Veniam hæc meretur culpa, quin laudem.
Sim. Tamen
Illud verendum est; aliqua ne puerum implicet
Fraus; neve spes, metusve simulatis diis
Dare thura cogat.
Math. Stirpis est nostræ; scelus
Pudet hoc timere. Robur afflabit novum,
Dabit ille vires, cujus offensi decus
Sustinuit ense.
Jud. In cardine hoc rerum est opus
Repetere castra, cogere & fortes viros
Ruere paratos, si quid inopinum accidat,
Opemque ferre.
Sim. Te sequor.
Jud. Genitor, vale.

SCENA TERTIA.

Mathathias, Gorgias.

Gorgias pollicetur Mathathiæ Pueri Jonathæ liberationem, si thus diis, quantumvis non ex animo, sed in speciem tantum adoleat. Strenuè rejectus à Mathathia ad illius pedes puerum adduci jubet, ut precibus, lacrymisque Genitorem ad commiserationem flectat.

Gorg. EST tibi, ut opinor, ora quod subeam tua,
Mirum, novumque; sed erit hoc mirum magis,

Quod

Quod nempe vindex ſceleris admiſſi, reum
Studeam tueri. Non id auderem; niſi
Rex ipſe, pueri culpa quem propius petit,
Te nimium amaret. Salva res eſt, ſi velis.
Nil poſcit ultra morte ab inhonora ſalus
Redimenda nati; niſi quod ubi ſignum dabit,
Cogetque populum ad ſacra ter reſonans tuba,
Divis ſacratam thure votivo ſemel
Aram vapores; mente ſimulata licet,
Intuſque aviti moris, & ritus tenax.

Math. Non ſi ſubire jubear ardentes rogos
Parere dubitem. At nunquam erit turpi nota
Cultus nefandi ut Numini aſtrictam fidem
Violem ſacrilegus.

Gorg. Crimini an cultus datur
Species inanis? culpa vel ſi qua eſt, neget
An ille veniam, pectori inſevit tuo
Qui nati amorem? cernis hoſtili in ſolo
Ut ſæpe veſtes advena externas capit
Qua fraude tutum ſibimet hoſpitium parat?
Innocua, ſimiliſque tua fraus erit.

Math. An foret
Innocua; ſi quis deficeret actus metu
A rege ad hoſtes; eſto non peteret libens
Inimica caſtra, invitus & nomen daret,
Vitam ut redimeret prolis?

Gorg. Ipſa quod jubent
Ingenita jura; quodque vel brutum pecus
Rationis expers, provida in rebus parens
Natura docuit promptam in adverſis opem
Affer-

Afferre soboli, siccine id crimen putas?
Math. Opem esto liceat ferre; non omnis licet
Opis ferendæ ratio. „ nam culpa vacat
„ Res sæpe, non modus. Hominem porro decet
Vitam tueri; poterit idcirco in suæ
Pretium salutis cum hostibus citra nefas
Patriam pacisci? poterit ut longam famem
Saturet (quod olim Solyma patratum horruit)
Natorum in artus furere, cultroque impio
Scindere epulandos? vana quid pecudum obiicis
Exempla, quas cæco impete effrænes rapit
Non nisi voluptas? „ mentis est, nostrum genus
„ Qua viget, honestum noscere, & notum sequi.
„ Honesti at omni labe turpatur decor,
„ Virtusque recta est: patitur obliqui nihil.
Perdis quid operam? parce jam dictis.
Gorg. Vices
Has mihi rependis? quod Sion nondum solo
Æquata jacuit; quodque sit spatium super,
Urbisque nomen aliquid, Antiochus fremit.
Stat illa nostro munere. Isacidum doles
Quod mucro plures jugulat, & plures vorat
Aggestus ignis; scindit aut multo frequens
Vulnere cruentans membra dentatus chalybs;
Quadrupedis alios ungula obtritu necat,
Aliosque torto verbere impulsis equis
Quadriga raptat. Civium sed pars quota est
Quos justa cædes laniat? innumeros neci
Eripui, eadem lege, qua mallem tuum
Eripere natum. Mica sabæi focis.

Inje-

Injecta thuris, fusus aut bacchi latex
Deorum ad aras, cladis effugium fuit.

Math. Scelus o! refusis eluat quod non vadis
Aut tumidus Ister, Nilus aut late fluens
Per ora septem, aut mixtus Euphrati Tigris.
Quam satius illis fuerat, æternos dies,
Lætosque stabili pace mortalis sibi
Parare vitæ impendio. Heroas puto,
Quos jam solutos corpore excepit sinu
Progenitor Abram, nubis obtentu suos
Velasse vultus. Gentis o! nostræ probrum.

Gorg. Itane tuorum solus è turba sapis?

Math. Ego te, meosque, quisquis insanus colit
Deos inanes, terra quos genuit, polo
Sacravit error, sapere plus aliis putem?

Gorg. Quid plura tecum? verba nil tangunt rigens
Adamante pectus. Ducite huc puerum. Fluens
Per ora nati fletus, optatum ferat
De te triumphum.

Math. Scena quæ nostros subit
Inopina visus?

SCE-

SCENA QUARTA.

Gorgias, Mathathias, Jonathas.

Jonathas cùm in manu Mathathiæ positum esse intelligat, ipsum crimine absolvere, coram illo supplex in genua provolvitur. Verum audita sacrilegi cultus conditione à Mathathia adimplenda, vitam hoc pretio redimendam recusat, seque paratissimum offert ad omne tormentorum genus perferendum.

Gorg. GEnibus affusus patrem
In vota flecte. Illius arbitrio tua
Vel vita, vel mors pendet.
Jona. En supplex manus
Ad genua tendo. Si quid in me unquam fuit
Dulce tibi: perque nostra, si veniam negas
Lanianda ferro pectora, ubi patrius suos
Condit amor ignes, munus acceptum semel
Vitalis auræ, rursus acceptum tibi
Referre liceat. Posse da tecum....
Math. Preces
Omitte vanas.
Jona. Potuit ecquid tam brevi
Peccare natus tempore, ut pietas locum
Non habeat ullum?
Math. Qua tua in patris manu
Sit lege posita siccine ignoras salus?
Gorg. Satis est, ut ille thure vel fictè colat
Simu-

Simulacra divum. Quantulum id sit, tu vides.

Jona. Hac lege [1]. Sceleris ergo tam diri capax
Potui videri; spatia ut hoc pretio velim
Protrahere vitæ? Majus hoc majus malum est,
Quam quod timebam. Sævus Antiochi furor
Me contra in unum cogat ardentes faces,
Uncos, equuleos, tela, laniatus, rotas.
Non horret hæc mens, certa in exitium prius,
Pœnasque in omnes ruere, quam fictos Deos
Præferre vero, sceptra qui solus tenens
Dominatur orbi; sydera immotus movet,
Terramque librat pondere appensam suo
Sibi satis unus.

Gorg. Franget hos animos prope
Admotus horror mortis.

Jona. Hæc membra, ut libet,
Lacera, perure, distrahe, in partes seca.
Honesta lethi causa terrorem illius
Abstergit omnem.

Math. Nate, ut hoc sensu places!
Ut me iste reficit animus! o quantum Patri
Solamen affers! esse me miserum nego
Hac prole felix.

Gorg. Pateris ad mortem rapi,
Et natum amas? amoris heu! dirum genus
Deterius odio.

Math. Amare sic virtus jubet.

Gorg. Crudele jussum. Sed quid ulterius moror?
De-

(1) *Surgit.*

Decreta mors est. [2]
Jona. Veniat. Optanti dabis.
Math. I perge,quò te jam vocat puerum cohors (3)
Æquæva nuper læta quos vidit parens
Vulnera virili pectore intrepidos pati,
Et quos secuta est morte septenis comas
Redimita lauris.
Jona. Cupio sociorum choris
Ocius adesse: at cura me tangit tui,
Tardatque gressus. Osculum ut dextræ imprimam,
Permitte.
Math. Fili..... verba confundit dolor,
Has cerne lacrymas. Jam vale: æternum vale.

Finis Actus Secundi.

ACTUS

(2) *Gorgias discedit*.
(3) *Anachronismus*.

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

Mathathias.

Falsò putans Jonatham fuisse Gorgiæ jussu interfectum mortem illius deflet.

Math. LAceros per artus vita jam forsan leves
Fugit sub umbras. Liceat ah! natum sequi;
Ruptoque hiatu referet ad avitas patrum
Sedes piorum terra cupienti viam.
In me citato se ferat quamvis gradu,
Mors fera veniet. Tunc mori decuit; Sion.
Cum patria coleret sacra; cum templo suus
Esset honor. Improba haud tot hausissem mala
Spectator oculis. Solve nunc saltem moras,
Teque ipse lento corporis nexu expedi
Assertor animæ: properus i puero comes
Ima peragranti spatia, quæ sanctis Deus
Secrevit umbris. Vana sed demens loquor.
Licet quod unum, prolis exuvias legam,
Oscula & arenis, quas tener pinxit cruor,
Figam ore cupidus. Altor huc lento venit
Gressu; doloris atra quæ frontem tegit,
Gravatque nubes, prævenit linguæ vices.

SCENA SECUNDA.

Mathathias, Nachor.

Mathathiæ animus falsa de Filii sui Jonathæ mortis opinione præoccupatus, ægre admodum a Nachore inducitur, ut illum vita adhuc frui credat: de qua re demum certior factus mendaciis Nachoris irretitus Jonathæ constantiam invita, veraque religione servanda turpiter labare facile sibi suadet, decernitque solemni Idolis peragendo sacro interesse, ut aspectu suo Juvenis temeritatem coerceat.

Nac. Heu! sors parentũ misera cũ natis carent:
Miserior, illis turba natorum latus
Cum multa cingit. „ Namque numerosa in domo
„ Aliquid dolendum semper, & nunquam satis
„ Cautum est in horas.
Math. Corda cur torques diu
Verborum inepta ambage? quod vanis studes
Ornare verbis augur haud falsus sibi
Præcinuit animus. Periit: & gravius quod est
Fata subituro nemo solamen tulit?
Me forsan ipsa in morte claudendis brevi
Quæsivit oculis. Heu! mihi haud licuit dare
Oscula suprema, legere & extremos sonos
Fugientis animæ.
Nac. Vivit incolumis puer.

Vivit

Math. Vivit receptus inter electos choros,
Nostrique ridet, luce sincera fruens,
Ludibria Mundi. Quæris incassum his dolis
Lenire vulnus. Si qua te pietas movet
Huc cara membra transfer; aut saltem fer huc
Meliore chlamydem murice imbutam, Tyrus
Quam quem superba jactat. In pretio hoc erit
Mihi munus aurum supra; Erythræum vomit
Aut quos lapillos littus; aut Indus fodit
Nuda pharetratus terga.
Nac. Quid frustra hæc rogas?
Math. Ipse, ipse pergam. (1)
Nac. Siste. Is ego ne sum, ut fidem
Non merear ullam? vivit: huc confer tuas
Potius querelas. Vita sibi lacrymas petit,
Non, qua dolebas ante, mors.
Math. Quid nam audio?
Nac. Silere mallem. Levius at puero nihil,
Mobilior aura fertur hac illac. Amat,
Oditque; metuit, audet; iratur, statim
Deponit iram. Sole ab adverso trahit
Non tot colores Iris; uno vel die
Quot ille vultus induit.
Math. Quorsum hæc age?
An trepidus hæsit? petijt an pœnæ moram?
An quod malorum maximum est, fictos Deos
Honore coluit?
Nac. Non adhuc. Sed ne colat

(1) *Discedere conatur.*

Jure est timendum. „ Quisque se fortem putat
„ Procul à periclis.

Math. Profer at causam metus.

Nac. Vix ubi resedit ira; quà posset tuæ
Consulere proli, mente secum Gorgias
Diu peregit. Sedit id demum; in manu
Posuisse pueri fortis alterutram vicem:
Aut thura det Djs, ante quàm solem premat,
Claudatque olympum vesper; offerat aut caput
Ense resecandum. Hæc jussa plus æquo libens
Excepit ille. Redditum est fronti jubar
Mœrore pulso. Quòve propendet magis
Ancipitis animi trutina compertum est satis;
Ipse sibi plaudit Gorgias; Plaudit frequens
Ipsi aula; lætum jamque sacricolæ parant
Pœana divis.

Math. Tanta labes, tam brevi
Spatio! quis unquam thessala mentem illius
Transvertit arte? satius ah! fuerat probrum hoc
Morte occupari. Quod prius flebam miser,
Nunc cupio. Pœnas fulmine immisso Tonans
Exposce. Præstat antequam scelus impleat
Vel sic perire.... Ah! siste. Sacrilegum licet
Amare pergo. Potius ardorem excita
Æthereum in illo, tactus ad sese redjt
Quo David olim, flevit & turpes toros,
Hostique flevit proditum insontis caput.

Nac. Divina bonitas, prona quæ in miseros, mali
Nulla fatiscit mole, tam justas preces
Non has repellet. Cœlitum huc te quin favor

Advexit; à me ut monitus auxilium feras
Jam prope ruenti.

Math. Ferre quì possim, doce.

Nac. Pompa ubi sacrifica, murmure & læto nemus
Resonabit omne, accede quo tibi fas erit
Propius ad aram. Vel te ad ingenium puer
Viso redibit; vel timor saltem moram
Obiiciet ausis. Quippe non illi pudor
Sic periit omnis; turpe te coram ut velit
Explere facinus.

Math. Adero spectator. Vale.
(Quin ultor adero. Nate, quò cogis Patrem!) (2)

Nac. Quò cepi, eundum; scelere tutabor scelus,
Tegamque fraudem fraude.,, Nisi superet modum
Rarò est inultum crimen.

SCENA TERTIA.

Gorgias, Nachor.

Dolum, quem Nachor Mathathiæ struxerat, fructumque ex illo, ut ipse levi conjectura ductus sperat, capiendum Gorgiæ narrat.

Gorg. Hic deses trahis
Moras inertes? quid rei gestum est?

Nac. Sacro
Ille aderit.

 Euge!

(2) *Discedit.*

Gorg. Euge! qua arte? quo captus dolo?
Nac. Simulans propinquæ mortis impulsum, metu
Labare puerum, spemque nobis, non levem
Dedisse lapsus; facile persuasi ut suo
Firmare trepidum vellet aspectu.
Gorg. Puer
At reteget hanc fallaciam; audacter necem,
Poscens paratam.
Nac. Poscat. An credis dolos
Superesse nullos? illico attexam novos:
Sibi nempe puerum redditum, atque illi vetus
Rediisse robur mentis. Hoc titulo mihi
Quin ipse plaudam.
Gorg. Fiet hinc, Patris ut cadat
Ante ora cæsus
Nac. Non id aut exlex Arabs,
Aut sinat Alanus, quique phasiacas bibit
Sacrilegus undas Cholchus; & Genitor sinet
Cui dulcior vita est puer; nec promptam opem,
Quam ferre potis est, afferet?
Gorg. Gens hæc sibi,
Laudi esse credit vel quod insuetum est feris,
Si vera narrant, strinxit in prolem furens
Abrahamus ensem; prolis & cæsæ sacras
Fœdavit aras sanguine, in Patriam redux
Post bella Jephthe. Hos ille, nisi fallor, duces
Studet æmulari. Pectus haud impar fodit
Cupido laudis: renuit hinc flecti inscius
Natum tueri, facile quem poterat; meas
Quin fronte tumida sprevit impensas diu

Pre-

Preces, minasque, visus & pene est sua
Traxisse puerum dextera insano ambitu,
Gladii sub ictum.

Nac. „ Audita percellunt minus,
„ Quam visa sensus. Lictor eductum minax
Ensem coruscet. Pronus in genua, ac tremens
Colla puer aptet vulneri; inque illum ruens
Jam resonet ensis; Genitor occurret statim
Pietate victus, altera & ferrum manu
Procul repellet, altera in sacros focos
Negata sparget thura. Nec veterum time
Exempla. Prolem nemo nam letho obtulit
Nisi id jubente Numine, aut voti reus.
Adde peragenda flexo in occasum die
Quod sacra noscens, esse virtuti satis
Tempus, & amori duxit: hinc, ut par erat
Prius ille munus gessit herois; geret
Sed mox parentis.

Gorg. Puer adest. Refer hinc gradum.

SCENA QUARTA

Gorgias, Jonathas.

Jonathas petit, ut sibi morituro liceat Mathathiæ extremum vale dicere; quod ne Nachoris fraus detegatur, simili fraude Gorgias impedire conatur; simulando nempe Mathathiam à vero Israelis Deo ad Idola *defecisse, idque eo animi ardore, ut suos ipsos natos Diis, nisi eorum cultum professi fuerint, se immolaturum voverit.*

Jona. VEni huc, petitum fata subiturum decet
Quod petere natum.
Gorg. Nempe ne mortem irrogem?
Sed ipse serva temet, ac Regi obsequens
Vitam, caputque, dum licet, morti eripe.
Jona. Nil tale posco.
Gorg. Tempus an saltem ut velim
Laxare pœnæ?
Jona. Non brevis tanti mora est.
Me juvat obire citius, ut citius fruar.
Gorg. Quid aliud ergo?
Jona. Detur ut Patri, id rogo,
Dicere supremum.
Gorg. Do libens. At......

Jona. Cur files?
Gorg. (Adhibenda fraus est.) Patris occursū cave;
Sis nisi paratus Regis aut jussa exequi,
Aut ense patrio cadere... Proh fallax fides!
Quam nil perenne est! stare quis presso gradu
Exempla post hæc speret?
Jona. Egit quid Parens?
Aperta loquere.
Gorg. Didicit evictus malis
Meliora sapere. Post Jovi nuper fidem
Obstrictam ad aras, Rege jam solo minor
Dat jura populis; quodque mirandum magis
Deos tuetur: immo nil medium sequi
Assuetus ante, Numini irato negent
Si forte resides thura, vel natos furens
Devovit ultro;
Jona. Vera narras? an meum
Hac fraude amorem fallis?
Gorg. Huc, citius fuge,
En ille properat. Quid tua intersit, vide.

SCENA QUINTA

Gorgias, Mathathias, Ionathas.

Mathathias, & Ionathas ambo aliena fraude alterum à vero Deo defeciſſe falsò ſecum reputantes, ſibi turpiſſimum hoc crimen mutuò exprobrant; quam exprobrationem uterque veræ religionis tenax perinde accipit, ac ſi ipſi ſua in veracis Dei cultu conſtantia cæteroqui laude digna per injuriam exprobretur.

Math. HAs mihi rependis, has vices? mea ſic amans
Exempla ſequeris?
Jona. Ne ſequar, pietas vetat.
Math. Auſus ſacrilegos itane pietatem vocas?
Jona. Quæ ſacra fregi jura?
Math. Quæ recti tenax
Servabo, feſſos quandiu hos artus reget
Vitalis aura.
Gorg. Jurgia hæc quorſum?
Math. Scelus
Immane tacitus an feram?
Jona. Et quod nam exprobras
Mihi ſcelus?
Math. Idne poſcis?
Jona. Ah! Genitor, malus

Quis

Quis tibi, quis error abstulit mentem?
Math. Mihi?
Jona. Tibimet: tuumque noscere errorem ut velis,
Liceat rogare. Prima nanque ortum trahet
Spes hinc salutis.
Math. Jubeo ut agnoscas tuum.
Jona. Talia jubenti patere ne morem geram.
Math. Talia rogantem forsan ulciscar brevi.
Jona. Reposce pœnas, nil renuo. Votum est mori.
Math. Non ego, reposcit Numinis læsi decus.
Jona. Id nempe curat ludicrum, & sensu carens
Inane Numen.
Math. Siccine hæc audis Tonans,
Nec tela torques?
Jona. Cujus ante aras cadam
In me Tonantis tela quid frustra cies?
Surda auris illi, dextera & saxo rigens.
Math. Sacrilega inultus patiar in Numen probra? [1]
Gorg. Mihi jusi nullum Rex dedit.
Math. Mihi jus dedit.
Natura potior. Fortibus cœptis amor
At patrius obstat. Corda torpescunt gelu,
Mediaque in ira, dulce mihi quondam Patris
Nomen recursat.
Jona. Nomen ah! subeat prius
Virtute partum: huic consule, & cave ne vigil,
Garrulaque ne te fama degenerem sciat.
Math. Servata superis mene degenerem arguit
Pie-

(1) *Gladio dextram admovet, quam detinet Gorgias.*

Pietas, fidesque?

Jona. „ Stulta frangenda est fides,
„ Quam crimen est dedisse.

Math. Sic in te pudor,
Fasque omne periit, crimini ut des, quod magis
Laudem meretur?

Jona. Verba quid frustra? petam
Lacrymis paternum pectus. Ad genua accidam.

Math. Abi hinc, facesse. Nil erit tecum mihi
Commune posthac.

Jona. Religio sit, unum hoc peto,
Ambobus una.

Math. Relege genitoris vias,
Erit una utrique.

Jona. Consilia genitor refer
In melius, una sic erit: sed quam sequi
Par est utrumque.

Math. Vocis infestæ sonum
Fugisse præstat. Nonnisi ulturus nefas
Ad te redibo. (2)

Jona. [3] Fata mihi propera, ut furens,
Nisi sponte, saltem parcat invitus meo
Genitor cruori. [4].

Gorg. Præter omnem spem bene
Res cessit. Omen capio, felici exitu
Hunc fore ab amica sorte claudendum diem.

Finis Actus Tertij.

---

(2) *Discedit.*
(3) *Gorgiam alloquitur.*
(4) *Discedit.*

ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

Mathathias, Simon, Judas.

Multa colloquuntur circa Ionathæ, quam falsò opinantur, à veracis Dei cultu ad Idola defectionem, variisque consiliis propositis, sed à Mathathia rejectis; hic demum animi sui decretum, quod præconceperat, subobscure innuit, jubetque ut Simon, & Iudas cum selectis copiis ad sustinendum facinus, quod moliebatur, accurrant.

Math. (1) O Spes inanes! Itane qui nuper virum
Sacrata Mosis jura spernentem est minax
Aggressus armis, Gorgia & coram genus
Se se paratum ad omne pœnarum obtulit:
Quin parvus infans ante contempsit Deos,
Quam nosse posset, terga veraci dedit
[Scelus o pudendum!] Numini; arasque impias
Supplex adibit? generis heu! nostri decus,
Hæc una labes delet.
Sim. In scelus hoc ruit
Num sponte, num coactus?
Math. An culpa vacat

Po-

(1) *Colloquentes in scenam prodeunt.*

Subeam paratam. Cardinem extremum premens
Mortalis ævi, jam fatiſcentem ratem,
Feſſamque poſt tot cupio fortunæ vices
Statione recipi.

Jud. „ Robur è damnis capit,
„ Animumque virtus. Reſpice ad natos. Domus
In te recumbit tota; quin Regni ſalus.

Math. Preſſum levabit gravibus ærumnis genus
Toties redemptum, vindice & dextra Deus,
Cum res, & uſus poſcet, eripiet jugo.
Satis hoc, ſuperque in rebus experti aſperis,
Diuque fuimus. Anne dediſcet ſuum
Deus ipſe morem? victa num noſtris malis
Bonitas fatiſcet ſumma? Qui meus eſt labor,
Turpi medebor vulneri. Abſtergam notam
Cultus ſacrilegi. Traxit hæc noſtrum in caput
Tonantis odia; ſæpe & id cauſæ fuit
Belligera quod gens ſueta cæſorum hoſtium
Referre ſpolia, lucis in pretium, grave
Pacta eſt tributum, gemuit aut ſævis diu
Conſtricta vinclis. Triſte documentum ſumus:
Quàm non inultos Numen Abramidum ferat,
Qui ſacra temerant jura, & inceſto colunt
Simulacra thure. „ Quid quod in miſerum redit
„ Uulgus, potentum culpa ſi pœna caret.

Sim. Natine cædem, genitor, (heu dictu nefas!)
Moliris?

Math. Hæc lux mente quid volvam, brevi
Reteget. At ambos operis in partem voco,
Voſque adminiſtros cupio. Vos armis volo

Fa-

Favere cœptis.

Jud. Si quid impensum cupis,
Expone facinus, cujus in partem vocas,

Math. Res ipsa sese pandet. Hoc jubeo interim,
Vos ut secuti milites, cæcos sinus,
Tacitoque latebras nemoris insideant gradu;
Cumque procul ara, & igne sacrifico nemus
Lucebit omne, marte concesso ruant.
Utque icta cautes fulmine; è montis jugo
Celeri ruina fertur, & secum viros,
Stirpesque præceps raptat: haud aliter cohors
Effusa inermes ense sacricolas petat,
Aras, focosque sternat, & inanes Deos.
Decorari opimis hisce nam spoliis meum
Exopto funus, plusque mihi laudis ferent
Sacra hæc trophæa, quàm ducum exuviæ, ac virũ
Clypeique, & hastæ, pendula & bustum prope
Bellica supellex.

Sim. Nostra tibi tanti est fides!
Curare patrium funus id fratri, id mihi
Solùm licebit?

Jud. Impares ergo putas
Patrem tuendo?

Math. Nosco pugnaces manus,
Fortiaque bello pectora; at præsens dies
Petit, ut procellæ solus objectem caput.

Sim. Ah! ferre detur.....

Math. Quæ jubeo vestrum est sequi.

Jud. Efficere nostrum est, Genitor, ut vivas diu,
Diuque jubeas.

Rum-

Math. Rumpite actutum moras
Nil profuturas.
Jud. Patris immemores vetat
Nos esse pietas. (1)
Math. Prolis immemorem jubet
Patrem esse pietas in Deum. Moriar libens
Divini honoris ultor, & postquam palam
Documenta dedero, quam sit horrendum nefas,
Punit quod ipse Genitor in puero, nihil
Quo dulcius habet ... Vulnus o! sævum, meo
Lethale amori vulnus! At quorsum hæc? tui
Sic anime titubas degener?.. Nachor subit.

SCENA SECUNDA.

Mathathias, Nachor.

Nachor fallaciter narrans se nervos omnes exeruisse, ut Jonatham ad meliorem frugem redigeret, fraudem suam promovet. Variis tamen conjecturis Mathathiæ suadet fore ut coram ipso Jonathas à sacrilegi cultus immani facinore abstineat.

Nac. NIl est peractum. Vota successu carent.
Tenore eodem constat, & flecti nequit.
Non terror orci, amissa non illum movent
Melioris ævi præmia. Et metui, & spei
Audax resistit. Medius hinc, illinc mare
Ut

(1) *Discedunt.*

Ut frangit isthmus, obstat ut boreæ, & notis
Inhospitalis Caucasi abruptum jugum.
Nunc si qua superest spes tibi, in te uno sita est.
Math. Paterna nuper monita sprevit.
Nac. Non tamen
Caruere fructu. Exinde nam secum tacens
Plurima revolvit. Sæpe suffundit pudor
Genas loquentis, turbat & voces dolor.
„ Juvenile pectus, corde quas curas alit,
„ Dissimulat ægre. Novit has artes senum
„ Callidior ætas. Ergo cum stimulos adhuc
Sentiat honesti, conscia & sibi exprobret
Mens tacita crimen, fronte qua poterit Patre
Audere coram, cujus ultro jam pudet,
Immane facinus?
Math. Fallit haud nostros metus
Spes hæc inanis. „ Fræna qui primis puer
„ Excutit ab annis, plusque concessis sibi
„ Licere voluit, semper in pejus ruit.
Quod tunc timendum potius, ante oculos habens
Cum recta, sequitur prava.
Nac. Quod frustra times
Fas mihi sit utinam! cupere... Me miserum! efferæ
Spectator adero cædis. Ah! quondam mea
Cura, & voluptas, nunc dolor, sævo cades
Puer sub ictu. Rebus in summis opem
Frustra rogabis, lumina & frustra in meo,
Patrisque figes ore, ne tendas manus
Prohibente vinclo. Frondibus resonum nemus,
Rupesque circum, & antra morientis sonos,
Gemi-

Gemitusque reddent. Gemere sed nos haud ferox
Patietur hostis. Fata subeunti vel hoc
Deerit levamen, quo caret nemo.

Math. An gemam
Quod sibi decora morte victurum paret
Sine fine nomen? jura quod longo patrum
Transmissa ab ævo servet, & Cælo fidem?
Non hos in usus provida indulsit parens
Natura lacrymas. Scelere si studeat dies
Protrahere, vecors; si statim ad mentem bonam
Recipere se se renuat, id flendum mihi,
Et jure flendum. Cogor at, Nachor, nec id
Ausim negare, quas parat fraudes amor
Cavere prudens, pellere & retro dolos.
Mecum ipse pugno: varius huc illuc agor.
Quàm sæpe nolens, æqua quod virtus tenet,
Servatque, medium desero, & nolens eò
Tacite relabor, unde contendi prius,
Gressum ut referrem. Immota mihi sed mens manet
Fluctus tot inter.

Nac. (Rima, qua subeam, patet)
Si fas precari est, sequere naturam ducem,
Tenerosque patrius, quos amor motus ciet,
Quos sequitur ipse juris impatiens Scythes,
Arabsque profugus, quin & indomitus leo,
Sequiturque tigris ipsa catulorum memor
Vel media in ira. Sequere naturam ducem.

Math. Ut sequar?...Honeste id facere si possim... (1)

(1) *Artificiose dissimulat.*

Nac. Tuum
Permitte natum thura mentito diis
Libare cultu. Crimen aut nullum, aut leve eſt
Simulare crimen, dummodo interius vacet
Mens ſcelere. Dira ſic niſi in venas lues
Abeat, & atro pectus illaqueet gelu,
Viperea tangit pocula innocue manus.
Quin tu ipſe ſenio gravior exemplo præi.
Illude Divis; dextera inceſtos focos
Spargat ſabæa meſſe; veracem Deum
Mens colat.

Math. [Inique.... Certa res eſt. Hinc mali;
Hinc orta labes.)

Nac. Quid truci aſpectu ſiles?
Per te, tuique pignus extremum tori,
Meumque alumnum: ſi quis impenſus labor,
Eſt ſiqua cura, laudis ut teneros amor
Alliceret animos; decora & antiquæ domus,
Æmulaque virtus adderent calcar, preme
Audacis iram cordis, innocuo dolo
Prolem tuere.

Math. (Puniam ut dirum ſcelus
Simulare cogor.] Quid tibi hæc contra queam
Referre, Nachor? Alia mihi Cælo auſpice
Iniecta mens eſt.

Nac. Teneo, quod votis diu,
Lacrymiſque petij.

Math. Quod tenes, longe, ut puto,
Tua vota ſuperat. Thura ut adoleam Jovi
Tu poſcis: at ego majus inſtauro ſacrum.

Madc-

Madebit ara victimis, quas ut parem
Jam pergo. Veniam facile, si venia est opus,
Dabit ille, cumulans tela qui nostrum in caput
Huc me redegit, esse non possim ut parens
Quin sim sacrilegus. [2]

Nac. Attigi summam spei
Quis me per auras turbo correptum vehat?
Aut det fugaci præpetem penna rapi,
Ut citius adeam Gorgiam? o lætum diem!

Finis Actus Quarti.

(2) *Discedit.*

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

Gorgias, Mathathias, Jonathas, Nachor.

Mathathias jubenti Gorgiæ, ut Jovi sacrificet, se ad fidem servandam paratissimum offert ea tamen lege, ut Jonathas primas habeat. Jussus vero Ionathas constantissime recusat, quin Iovem, falsosque deos execratur. Operam suam interponit Nachor, & Ionatham alloquendi remotis arbitris facultatem impetrat.

Gorg. PEragenda rite sacra. Jam populus frequens
Circumstat aras, Te quoque haud dispar, scio,
Causa huc subegit. Primus, ut par est, Jovi
Persolve honorem. Cæsa procumbat pecus;
Divitis acerræ dona vel sacris focis
Ingere.

Math. Libenter, quam dedi, implebo fidem;
Hac lege tamen, ut victima haud nostra manu
Procumbat ulla; natus antequam sua
Imponat aris dona. Sic menti sedet.
Litet ille primus, cujus ob causam parens
Litare cogor.

Gorg. Patria natorum est sequi

Exem-

Exempla.

Math. Sed rerum hoc in articulo decet
Natum præire; me sequi.

Gorg. Ergo age tu prior. [1]
Exequere jussa, si tibi est cordi salus,
Te siste coram Numine, & lateri comes
Accedat alter.

Jona. Mene marmoreum Deum
Brutumque lapidem colere? nisi fallor, refert
Jovem hæc imago, sæpe qui vetitos toros
Ut sibi pararet, membra, turpesque induit
Rictus ferarum.....

Nac. Comprime audaces sonos.

Jona. Quæ tu docebas ante, cur me nunc jubes
Silere Nachor?

Math. [2] Puer hic est, Nachor, sui
Degener, aviti decoris, & famæ immemor,
Patrique misere flendus.

Nac. Ut se res habet,
Monui futuram. Te palam admissi pudet,
Tegitque crimen.

Gorg. Nil ne te Regis movent,
Patrisque jussa?

Jona. Facere quæ possim imperent:
Me (cupio id unum) libero cælum ferant
Spectare vultu; nec mihi obtrudant Deos
Falsos, profanos. Cætera ad nutum geram,

D 3 *Nac.*

(1) *Ad Ionatham.*

[2] *Ironice alludit ad superiores scenas.*

Nac. Patere me ſecum arbitris
Loqui remotis.
Gorg. Loquere.
Math. Per me etiam licet.(3)

SCENA SECUNDA.

Jonathas, Nachor.

Intrepidam Jonathæ conſtantiam privato alloquio Nachor labefactare conatur; ſed ſtrenuus adoleſcens illius conatus omnes eludit.

Nac. AD ſana mentem flecte, teque ipſum juva;
Quin & Parentem. Res eò rediit, ut hinc
Abire neuter poſſit incolumis; niſi
Jovi litarit. Melius in promptu eſt nihil
Dum, quod ſequare: finge. Quis culpæ id dabit?
Tuus ipſe Genitor ſibimet effugium parat
Hac arte: magni relege Genitoris vias.
Jona. Nec tibi pudori eſt ....
Nac. Me tuam miſeret vicem.
Haurire fumos thuris, aut donis capi
Putaſne ſuperos? mentis obſequium petit,
Animumque memorem quiſquis eſt cælo Deus.
Regum eſt ſtatuere, more quo libeat ſuos,
Rituque populos vivere. Hoc ſceptris fidem,
Pacem-

[3] *In interiorem ſylvæ receſſum, paulò poſt regreſſuri, ſe recipiunt.*

Pacemque Regnis sancit. Exterius cole
Silicesque, & æra, quidquid & Reges jubent.
„ Animi in recessu vitia, vel virtus latent.
„ Hinc quisque tacitus testis, & judex sui est,
„ Sibi notus uni.

Jona. Parte qua fluxit stygis
Lethale virus, voce quod blanda tegis?
Tam sæva nunquam serpat in populos lues,
Pietatis haurit dira quæ succum, illius
Umbram relinquit. Casus ut quemque offerat
In vota qui poscit Deos, nullum timet,
Quia colit omnes. Tuque jam gressum refer,
Errasse pudeat.

Nac. Nempe vesani sequar (1)
Somnia popelli? fata post, sensu carens
Cum fuero, lætis tunc fore ut rebus fruar.

Jona. Collapsa siquidem corporis moles ruit
Compage rupta; Melior at nostri manet
Cognata Cœlo pars. Ut hanc flexit sui
Libera potestas in bonum, aut malum, feret
Peritura nunquam præmia, aut pœnas.

Nac. Negat
Sed hæc futura quisque, cui pectus sapit:
Res namque repetit quælibet priscum nihil,
Unde habuit ortum.

Jona. Ne quid ex ista traham
Contage scelerum, timeo. Proh! dirum caput,
Vel tunc timendum, cum nihil timui. Hanc dies

(1) *Ironicè*.

Non una cladem peperit. „ Impietas ſuis
„ Et ipſa gliſcit gradibus. At patria in domo,
Adulta quamvis latuit, occultè ſuam
Depaſta ſaniem. Concolor ſerpens latet
Sic inter herbas, quem fere oblitum putes
Fraudum, ſuique: vix tamen primus patet
Aditus nocendi, totum in orbes ſe rotat,
Solvitque ſeſe rurſus, ut ſævum altius
Infigat ore vulnus.

Nac. Excordem rege
Juvenilis oris impetum, & Patri, ac tibi
Conſule, ſupremum moneo.

Jona. Conſultum eſt ſatis.

Nac. Regem timere diſce.

Jona. „ Tu Numen time;
„ Quo nil timeri gravius irato poteſt.
Sed ecce contra graditur. (2)

Nac. Eſt quæ nam ſuper
Nunc ſpes ſalutis?

SCE.

(2) *Innuit Gorgiam*.

SCENA TERTIA.

Gorgias, Mathathias, Jonathas, Nachor.

Blandimentis, minisque Gorgias Ionathæ constantiam impetit, sed frustra. Quamobrem in rabiem actus, ut alteruter vel Mathathias, vel Jonathas Iovi sacrificet severissimè imperat: qua occasione Mathathias heroicum animi sui consilium detegit: demum Nachorem utriusque nomine sacrificare aggressum, nec non Gorgiam, divino afflatus spiritu gladio enecat.

Iona. VIctor elusi dolos. (rer,
Nunc levior instat pugna. Sed ne te mo-
Operamque frustra dederis; id primum velim
Te monitum: avita deseram haud unquam fore
Ut sacra, Deosque ludicros votis colam,
Quos, fateor ultro, negligo.
Gorg. Addisces brevi
Damno tuopte sapere.
Jona. Fors damnum putas,
Quod struis acerbum funus? extinctum manet
Sed melior alibi vita, nec lethi capax.
An ille doleat puppe qui pelagus secans,
Longeque distans, gestit ad patrios lares,
Prolisque caræ ad oscula ut primum licet
Remeare; citior aura si pellat ratem,
Quò vota præeunt?

Cer-

Gorg. Certa, dum ignotis ſtudes,
Quid pretia miſere perdis! in melius refer
Conſilia, juſſu Regis œbalio madens
Velabit oſtro te chlamys: centum atriis
In ſe recurrens dives excipiet domus;
Regifica luxu menſa peregrinas dapes
Offeret, & aures dulce mulcebit melos.
Jona. Omitte puerùm nænias. Non has ſequor
Umbras inanes; „ rebus humanis modum
„ Statuere certum; noſse quas animus fuga
„ Declinet ultro, ſive quas ultro petat,
„ Suique habenas regere, vera hæc ſunt bona
„ Cupienda nobis, quæque ſi cupias, habes,
Math.(1)Neſcio quid homine majus hæ voces ſonant.
Nac. Sileret utinam: merita plus æquo loquens
Laceſſit odia.
Math. Fudit æthereus calor,
Se pueri in animum. Spe mihi ignota ſalit
Quin pectus, omnemque obruit lenis quies
Senſum doloris. Patrius abſceſſit metus.
Gorg. Audire vana jurgia haud ultra vacat.
Hoc jubeo: ad aras natus, aut genitor litet. [2]
Jona. Jordanis ante re feret in geminum caput
Amnem retrogradum, jura quàm cultu impio
Sacrata violem. Vitam ab invito potes

Au-

[1] *Miratur Mathathias Ionathæ ſapientiam, eamque è cælo immiſſam putat.*

[2] *Gorgias innuit Ionathæ.*

Auferre, Numen non potes. (3)
ath. Nulla est mihi
Victima litanda.
rg. Nulla!
ath. Sacrificam manum
In sobolem adigere mens erat.
ac. Sævum Patrem!
ath. Nam cum putarem transfugam, & Mosi datam
Fidem negasse, mysta veracis Dei
Sacrum hoc parabam.
org. Nostra tunc etiam abnegas
Subire jussa? o subdolum, & fallax genus!
At neutrum inultum patiar. In prolem sacer
Rotetur ensis. Adsit huic sacro parens;
Mors una utrumque plectat.
na. Egelidos petit
Ut cupida fontes cerva, cui tenerum latus
Arundo mordet. Arva cum torret Leo,
Ut avidus imbres potat æstivos ager
Sitiente gleba; sic cupio claro dies
Clausisse letho. Sed tua auxilio manus
Succedat, orbis Rector, & cæli Potens.
ath. I nate felix, hos cape amplexus, & hos
Umbris avorum redde; quas Abræ sinus
Excepit olim. Has inter audaci gradu
Celsus ubi se obviam feret spretor necis
Eleazar, illum posce (si manes habent (4)
Curas

(3) *Gorgias innuit Mathathiæ.*
[4] *Anachronismus.*

Curas priores) pectori noſtro ut novos
Adjungat animos, doceat & dextram aggre
Grande aliquid, ætas nulla quod ſileat. Mea,
Quin adde, nunquam confore, ut mente excida
Decus Sionis, ulla nec tergat genas
Lux niſi quæ honorem Numini, & templi obruta
Reſtituat aras. Perge jam, æthereas data
Cervice lauros, inclytam & palmam refer.

Nac. In quem parentis contuli officium, ſinam
Itane perire? Genitor ah! ſupplex roga,
Poſitoque natum poplite advolvi jube
Ad Gorgiæ irati pedes.

Iona. Non tanti emo
Caduca vitæ ſpatia.

Math. Jacturam levem
Merces rependet ſumma.

Nac. Sic nati feres
Cruenta fata? pronus in te fors ruet
Cervice ſecta truncus, ac ſciſſum caput
Nomen vocabit murmure incerto tuum.
Et dubius hæres? amor ubi, & pietas? ubi
Natos tuendi cura, quam Tigres habent?
Satis hæc foret; ſed barbare! hac etiam cares.

Gorg. Moror quid ultra? debitas pœnas luat.

Nac. Ah! ſiſte greſſum. Quò ruis? ſi quid bene
De te mereri licuit, & ſi quid tua......

Gorg. Pueri quod aras imbuit nondum cruor
Parumne meritis hoc datum eſt, Nachor, tuis?

Nac. Nimium eſſe fateor; lance ſi recta æſtimo
Momenta culpæ, quam tamen multum eleva

Pue-

Pucrilis ætas.

Gorg. Auget at multum patris
Vafritia mendax.

Nac. Æquitas sed me tua
Juris rigorem temperans in spem erigit.

Gorg. Impune ne sit crimini, aliorum salus
Tuenda poscit.

Nac. Alia si pateat via,
Qua culpa cesset, nec sit exemplo nocens
Quidni capessas?

Math. (Corde quos versat dolos?)

Iona. (Fœdifrage, vecors!)

Gor. Loquere, quid rerum paras?

Nac. Unus ego sacras nomine amborum preces,
Et thura fundam.

Gorg. [Exempla plus verbis movent.
Tentare præstat.) [5]

Math. Patiar hanc turpem notam
Ambobus allini?.... At quis in venas fluit
Insuetus ardor?

Nac. (6) Numen, o Divum Pater,
Huc flecte placidum.

Math. Rapior: absimilis mei,
Meque ipse major, cogor ulcisci nefas. [7]

Nac. Ab una quamvis dextera....

Math. Mendax sile.

Remo-

(5) *Gorgias, & Nachor pergunt ad aram.*
(6) *Nachor prope aram sic Jovem precatur.*
(7) *Mathathias accedit ad aram.*

Removete gressus impii. [8]

Jona. Ah! patrem sequi
Daretur utinam! socius aut palmæ forem,
Aut fato eodem morerer. At prohibent & hæc
Vincula, & inermis dextra. Quod possum unicè
Spectator adero.... En ille jam victor redit.
Quin immo fratres agmine invictum ducem
Læto sequuntur. Exitum his cœptis parem
Properate superi.

SCENA QUARTA, ET ULTIMA.

Mathathias, Simon, Iudas, Ionathas.

Simon, & Iudas, qui sylvæ latebrás insederant, tempestive ad sustinendum egregium Mathathiæ facinus accurrunt; quo peracto Mathathias paucis filios suos allocutus in abrupta montium juga se se cum filiis suis recipere decernit.

Math. [1] Heus agite simulatos Deos,
Tripodas, & aras vertite. Hæc victor mihi
Trophæa posco. Gorgias cecidit sinum
Confossus ense; cecidit, & fato pari
Nachor. Secundet cœpta, qui nobis dedit
Cepisse. Nati bella vos posthac manent,
Cruenta bella.

Jud.

---

[8] *Vertit in fugam, gladio insequitur.*
[1] *Gladiis districtis in scenam prodeunt.*

Jud. Impendere hanc vitam Deo,
Patriæque cupio.
Sim. Gerere quis renuat ſacra
Cœlo probante prælia?
Math. At tu quid ſiles?
Care puer, arma tu quoque ætas cum ſinet,
Aciemque duces Ne Deo obſtricta, id cave,
Titubet deinceps; firma ſed conſtet fides.
Jona. Crimen idem utrique affinxit [heu! dirũ ſcelus.]
Veterator ille, ut alter alterum ſuo
Parem in ruinam traheret exemplo.
Math. Dedit
Sed ille pœnas. Forſan & dat, quas dies
Non minuet ulla.
Sim. Viribus fretus ſuis
Quiſquamne ſperet?
Jud. „ Tutus eſt nunquam ſatis
„ Niſi qui timere didicit, alieno & ſapit
„ Doctus periclo.
Math. At regredi nunc eſt opus
Quà celſum in aſtra culmen attollunt juga,
Gentiſque lectum robur ingenium loci
Satis tuetur. Agmen ibi cogam: Duces
Et medius inter digeram belli modum.
Tu dexter adſis unica oppreſſi ſalus
Populi, levamen unicum o Divum potens,
Hominumque. Certò, ſi quod in nobis ſitum eſt
Spondere liceat: noſtra vel ferro manus,
Barbarica franget vincula, & lecta ſatam
De ſtirpe gentem ad priſtinum tollet decus;
Clades vel eadem noſmet, ac Patriam opprimet.

FINIS.

